

PETRVS SCOTVS ARGENTINENSIS.



Petrus ille bonis literis institutus doctissimus utris merito annumerari debet. Erat enim in diuinis scripturis exercitatus, in utroque iure doctissimus, & in philosophia & artibus nulli secundus, utpote philosophus, Rhetor, & poeta egregius. unde in patriam suam Argentinam reuersus, S. Petri canonicus electus est. Ibidem summa uitæ innocentia studijs incubuit, atque tam metro quam profa elegantissima opuscula conscripsit, quibus se posteris commendauit. Nam uitas Ioannis Baptiste, Ioannis Euangelistæ, Ioannis Chrysostomi, & Ioannis Gersonis elegiaco carmine pulchre conscripsit, & cum multis alijs publicauit. Cum autem in medio studiorum cursu esset, immatura morte anno ætatis 31 sublatus est, magno omnium honorum luctu, Sepultus est Argentino in Ecclesia S. Petri, anno 1491. Trit.